




Ms. B. 4.





ב'גה

SAMUEL NON-SAMUEL,

23

Sive:

De

SPECTRO EN-
DOR EO

I. Samuel. XXIIIX.

DISSERTATIUNCULA,

Glaucoma Diaboli,

*quo Impio Regi permisu Divino
imposuit,*

ad leges Generis Didascalici,
asserens,

in

GYMNASIO BERLINENSI

publice habita

a

Michaële Zülichio, Stolpâ Pomerano,

G. B. A.

X.

COLONIÆ BRANDENBURGICÆ,

Typis GEORGI SCHULTZI, Elect Typogr. Anno 1672.

26



SAMMELBAND

STEGEBOER

DORBO

1841

DISSERTATION

Geometrie

von Carl Friedrich Gauss

1801

an der Universität Göttingen

1801

GYMNASIUM BERLIN

1801

Mittheilung des Verlegers

C. F. A.

CORONA

1801





Non strygam vis ulla potest hanc reddere lucem,

Numinis hoc solum est omnipotentis opus.

Omnia transformans sese in miracula rerum

Imponit Proteus Orcius invalidis.

Mille parat species, modo vulpis, moxque leonis,

In nassam ut cæcos fraude metuque trahat.

Disce proin genios chartis distingvere sacris,

Namque imposturas ater & albus agit.

Talia, ZULICHI, Tua sunt conamina, *verum*

A falso cum discernere Vate doces.

Macte pio genio! Capiet sua præmia sudor,

Tuq; bonis multum laude, favere clues.

Ita precor MEO ZULICHIO, omnes

numeros Ingenui discipuli explenti

M. Gottfried Weber / Rector.

Præstigias Satanicas,

redivivum Prophetam Samuelem olim mentitas,

Oratorie eludenti

Z ù L I C H I O

Samuelia illa, 1. Sam: II. v. 26.

** * * **

PRÆSTIGIIS SATANÆ VARIIS EXPOSTA JUVENTUS,
FELIX, SI FIDIS, SED CUI, CAUTA VIDES!

M. Samuel Rosa Gymn. Berl. SubR.

Impostor Satan est terrarum ab origine prima,

Incautosque dolis decipit innumeris

Et leo ceu rugiens per cunctas circuit horas,

Devoret ut subito, qui pietate cluunt.

Fallaces eius rechnas proferre laboras,

ZULICHI, verbis sævibus, arte probâ.

Ne TE decipiat fraus pessima Dæmonis atri,

Noctes atque dies invigila precibus!

Et studio infracto devites ocia fœda,

Sic felix vinces insidias Satana!

Id quod AUDITORI SUO

â pietate & diligentia commendabili

ex animo precatur

Petrus Bredow / Gymn: Berl. Sub-Coar

*J*am gl. cialis hyems, undas quæ frigore durat,
 Fœtaq; nunc altâ conspuit arva nive.
 Rigidus ille Aquilo pratis decussit bonorem,
 Et defraudavit nemora fronde suâ.
 Hortis arboribusq; suum Pomona colorem
 Abstulit, ablatis fœtibus auricomis.
 Frugibus infelix ager est hoc tempore cunctus,
 Mentem quæis homines exhilarare solent.
 Zülichi, incultis alijs, Tu fertilis arbor,
 Qui insolitò fructus frigore fers medio:
 Eloqvij specimen Latij dum conspiciendum
 Edis, quod de Te spem creat egregiam.
 Scilicet ostendis, quam sit captura salutem
 Ex Te facundo vinea cara Dei.
 Sedulus Euge! gravem tersa Svadam excole lingua;
 Ut, tenuis quæ nunc, Arbor adulta fies.

Ita Agnato suo Primitias Oratorias spargenti
 lætabundus applaudebat.

Joachimus Titelius, Corlinas Pomeranus.

*S*ic decet in stadio Musarum currere claro,
 Ut sit conjunctus cum pietate labor.
 Scrutari siquidem te quid profunda juvabit,
 Scripturæ Sacræ ni labra fonte rigas?
 Divinæ legis teneant oracula primas,
 Sic Sacer ille DEI Spiritus addet opem.
 Iovæ ZÜLICHÏ conatus laudo sacratos,
 Scrutari nava qui Sacra mente cupis.
 Oceanum Sacrum tu degustare præoptas,
 Agnus quem superat, trajicit atque elephas.
 Maeste labore tuo doctis clarescere Chartis!
 Commoda sic tandem magna Brabeuta dabit.

Hac pauca Sympatriota suo hono-
 ris ac amoris ergo scripsit.

Johannes Colberg, Colbergens. Pom.



JEHOVA JIVA!

A Nimum nostrum altiori re-
rum quarumcunq; scrutinio dedicatum, &
unà cum ipsò attentiores ac sacratiores medita-
tiones, à visibilibus, in vastissimo hoc amplissimi
amphitheatri mundani ambitu, existentium contemplatione, ad
rerum ob illibatissimã ac ab omni materiæ imperfectione alienis-
simam puritatem, oculorum quorumvis, quanquam perspicacis-
simorum, aciem effugientium, considerationem si ablegamus,
inter eas primò sese nobis locò offerunt contemplandi Spiritus,
iidemque diversorum maximè generum. Primò etenim con-
siderandus ultrò occurrit Spiritus ille Spirituum universorum
præcellentissimus, præpotentissimus, Spiritus ille Majestatis in-
finitæ, Potentiæ & Sapientiæ immensæ, qui omnia in omnibus ad-
implet, qui reliquos, ut & omnia & singula in universo hoc mun-
di systemate vigentia, viventia, ac existentia creata conservat ac
dirigit. Spiritus ille visu clarior, ut videri non possit, tactu pu-
rior, ut comprehendi nequeat, sensu major, ut affatu audire, in-
cessu percipere nemo eum valeat. Hunc ob inæstimabilem sub-
limitatem cum nemini unquam mortalium secundum naturam
perfectè cognoscendi obtigerit felicitas, nec unquam obtingere
possit, submississimè meritò colimus & deveneramur, ac simpli-
cissimè talem, qualem suo sese in verbo manifestavit credimus,
nec rationem rimantes nec causas scrutantes. Ab hoc verò Cœ-
los omnes exsuperante Spiritu, DEO T. O. M. Spiritus alii ori-
ginem trahunt, qui licet cum ipso mundi initio suum quoque ini-
tium sumpserint, eundemque cum cæteris creatis Conditorem
agnoscant, adeoque longè imperfectioris, quam ipse DEUS, sint
A naturæ

naturæ; ob eam tamen, qua gaudent, ab omni materia immunitatem nulli temporum vicissitudini sunt obnoxii, inque eo cum Conditore suo, Spiritu isthoc infinito, conveniunt, quod mera mens sint, una cum ipso in nunquam terminandas seculorum innumerabilium myriadas perennaturi. Et isti quidem bifariam menti sese nostræ sistunt intuendi, aliter n.p. angeli, aliter animæ rationales; Illi tanquam Spiritus per se completi, nec aliud quicquã, ad quod se referant, requirentes, eò quod natura eorum in se terminata ad perfectionem alterius non terminetur. Hæ verò, quantumcunque subsistere absque sustentatione alterius possint, semper tamen ad corpus informandum, cum ad id, formæ instar ad materiam se habeant, feruntur, ita ut junctæ eidem tandem perfectum aliquod constituent. Cæterum angelos duplices esse, bonos nempe, qui in concreata Sanctitate ac Bonitate perseverarunt, adeoque in bono confirmati sunt ac statuminati, ut nihil nisi bonum meditari, nihil nisi voluntati Divinæ congruum agitare possint, pariter ac malos, qui sponte sua, tumidâ superbiâ & superbô tumore inflati, Creatori suo se submittere fastidientes, à DEO se averterunt, atque adeo ab initio peccaverunt, qua de causa etiam æternis vinciti catenis è Cœlorum palatio in fundi expers inexplebilis orci barathrum præcipites sint acti, prolixiori inter nos equidem indigere probatione non arbitror. Porro cuivis hominum suam à DEO inditam esse animam, quæ corpus vitali aura instruat, nec nisi per mortem ultimam illam rerum lineam è corporis isthoc ergastulo liberari queat, tam verum est ac certum, quam quod certissimum: Soluta autem materiæ isthoc onere, aut rectà in Cœlicum beatorum evolat contubernium, in desideratissimum Abrahamæ sinum, aut à maledictis Spiritibus intercepta in expleri nescium detruditur avernum. Intermedius enim, quo concedant è vita excedentes animæ, locus in Sacro Scripturæ Codice non legitur determinatus, nec purgatorium ullibi, nisi in vano ac malesano juratorum Christi ementiti dicam vicarii an infensissimi adversarii? (utrumque enim si dixero minime tallar) Papæ Romani

nani affeclarum cerebello deprehenditur ac invenitur. Ex utroque autem hoc habitaculo, num anima quædam semel in unum eorum delata, redire inque hanc rerum humanarum orbitam reverti queat, disquirendum meritò venit & exactiori accuratioris iudicii trutinâ examinandum. Solent affirmantium subscribentes sententiæ inter alia assertionis suæ fidem facere conari exemplò Viri antequam conciperetur D E O jam dicati, Prophetæ Samuelis. Hunc primo isti, at nimis quam impio ac infausto Iſraëlitarum Regi Sauli bienniò à suo è vita hac mortali discessu, apparuisse, cumque eo de rebus futuris sermones miscuisse, Sacrum Literarum Divinarum ajunt docere Grammatophylacium. De hoc non vulgari cum jucunditate juncto hac vice lingvæ ac eloquentiæ exercendæ ergo verba cum facere sustinuerim argumento, Vestri A. O. mihi expeto faventem favoris favonium, cujus lenissimo impulsa afflatu tyrocinii mei navicula portum exoptatissimum felicissime consequatur. Evincere A. & momentosis argumentorum, ut spero, invictorum rationibus demonstrare, ac in ipsum, quod dicitur, Solis discum collocare conabor ac sedulo allaborabo, imaginem Samuelis sub formâ Sauli visam, non fuisse verum Samuelem, sed phantasma mendax ac vanum & inane quoddam glaucoma à mille fraudum ac technarum artifice vafferrimò cacodæmone impiis impii Regis oculis ope Pythonissæ objectum. Sed antequam in ipsam propositi arcem penetrem ac statuminandæ sententiæ meæ, adversariæ verò oppugnandæ, machinas admoveam, ipsam vobis historiam brevissimis, potioribus saltem adhibitis circumstantiis, enarrare, non ab re futurum sum arbitratus, ut re ipsâ melius cognitâ & accuratius perspectâ, eò majori cum facilitate dextrum de eâ iudicium ferre possitis. Ea verò hæc est: Bellum movebant Philistæi & in his Rex Achis contra Iſraëlem. Saul vero proscripserat ex omni Iſraële, & finibus universæ Regionis judaicæ eiecerat hariolos & incantatores, nec à D E O, qui propter præfractam contumaciam ab eo recesserat, responsum accipere poterat. Averfus itaque à D E O suo, con-

tr a decretum proprium ad כּוֹבֵלֵת s. Pythonissam confugit, quæ adhuc reliqua erat. Hæc post multam tergiversationem, tandem desiderio ejus morem gerit, & incantationibus suis tantum efficit, ut speciem Viri Senis tunica holoserica circumdati, ascendere fecerit. Id vero quod apparuit post gravem reprehensionem, quod quietis suæ turbator sit, respondet ad quæsitam Saulis, quamvis non ex sententia. Inter cætera vero fore prædixit, ut cras ipse cum filiis suis eandem secum conversationem ingrederetur. Et factum, ut postridie cum Philistæis prælium ingressus, totò Israëlitarum exercitu in fugam datò, ex desperatione in propria viscera enses adegerit, & sic impiam animam turpissima morte vel invitam eiecit. Habetis A. rem uti gesta est. Nunc paucis accipite, num spectra, quæ vocant, verè appareant. Dari hac in rerum mundanarum fragilitate ac circumvagari terri- culamenta vel insolitâ & truculenta facie, vel alterius alicujus sive pronuper sive jampridem demortui specie ementita, plusquam Panicum quibusvis obviam factis incutientia timorem, tremorem, horrorem, haut raro etiam stuporem, non quotidiana tantummodo experientia, optima illa, censore Tullio, rerum magistra apertè satis testatur, verum Veneranda quoque Antiquitas liquidissimis exemplis asserit, approbat, statuminat. Et quidem neminem adeo hospitem in historiarum fore confido monumentis ac peregrinum, qui nescius fiet, quid Athenodoro Philosopho haut vulgaris eruditionis Athenis acciderit. Hic in domo deserta ac ob frequentem immanium spectrorum incursum & assiduam horrendorum terri culamentorum impetum inhabitabili, cum nocte quadam stupendum catenarum inaudiret strepitum, spectrumque ad se formâ fœdâ, immani ac abominabili venire sentiret, tantum abfuit ut vel minimum expaverit, ut potius sequi ab eo jussus, intrepidè cum eo in atrium domus abierit; quo cum venisset, spectrum evanuit. Postridie ad eundem locum reversus terram effodit & invenit ossa catenis implicita, eademque legitime sepelienda curavit. Quo facto tumultus spectri conquievit & secuta est

est perpetua domus istius securitas, nec unquam postea vel mi-
nimus strepitus est inauditus. Quis hæc auribus usurpans, spe-
ctra reverà dari amplius ambigat? Quis sese eadem, nisi manife-
stò falsi crimine arguere ipsi allubescat Antiquitatem, negare non
posse non perspicit? Certè & hoc & complura alia, quæ adduci
possent, si instituti id exigeret ratio, exempla evidentissime spectra
adstruentia, dubitare nos non sinunt de creberrima hominib9 facta
ejusmodi terriculamentorum apparitione. Eadem autem meras
codæmonis larvas esse, qui permissu Divino hanc licentiam ade-
ptus, iis, quos impietatis cœno immersos videt, glaucoma objicere
solet, non est, quod longe petitis argumentorum stabilire desude-
mus rationibus. Nisi enim hic est, animæ demortuorum sint o-
portet. Animæ vero relictâ semel hujus mundi miserâ, ad ean-
dem ut revertantur, nec ipsarum permittit proprietatis, nec Divina-
rum Literarum autoritas. Etenim si animarum corpore soluta-
rum naturam accuratiori mentis indagine persequimur ac perve-
stigamus, quid quæso absurdum magis, quid magis absolum ac ra-
tioni saniori magis contrarium excogitari potest, quam quod eæ in
hoc terrarum orbe oberrent? Illæ namque, quod supra jam dictum,
in ipso dissolutionis suæ à corpore puncti stitio, aut ab angelis in cœ-
licum illud beatorum Spirituum palatium deferuntur, aut ad infer-
nale Cacodæmonum habitaculum detruduntur. In illud si sint
delatæ, in beato Abrahæ sinu quietem capiunt suavissimam, ab o-
mni turbaram ac adversitatum afflictione liberrimæ. Hoc verò
invisere si cogantur, plusquam Cimmeriis obrutæ tenebris, præ-
gustum ineffabilium cruciatuum infernalium sentiunt. In utro-
que autem ad reduntionem usque cum corporibus die illâ panto-
criticâ & universæ mundi machinæ novissimâ futuram, persevera-
re necessum est. Qui itaque ad aliud ~~et~~ delatæ, vetus domicili-
um appetent? Qua ratione illud domicilium deserere vellent,
hoc autem quomodo possent? Nec est, quod easdem hic & simul
suo in loco adesse dicas. Certè absurditatem hoc redolet longe
majorem, quandoquidem nihil minus, quam hoc ipsorum naturæ

competat. Sunt enim Spiritus finiti omnes in aliquo ubi, non ut omnia replentes diversis locis simul præsentés esse possint, quod solius DEI est proprium, sed definitivè, quemadmodum Philosophus loquitur, ita, ut si in hoc loco sint, in altero esse non possint. Et obsecro vos, A, quænam adeo momentosa causarum dari possint pondera & ponderosa momenta, quibus motæ beato fruente statu animæ, unicam horam omnibus numeris perfectissima illa felicitate, carere gestirent? Quænam tanta in mundo hoc immundo excogitari possit amœnitas, quæ eos ad hanc mortalium rerum miseriam reduceret? Nonne ipsæ in manu DEI sunt & felicissima gaudent beatitate, ab omnibus vel levissimæ afflictionis nebulis tutissimæ, adversus omnem adversitatis injuriam undiquaque munitæ? Quid autem est in hac rerum humanarum periodo, quod de constanti quadam felicitate gratulari sibi possit? Annon omnis mortalium felicitas vitro est fragilior, dumque splendidissimo coruscat fulgore, inopinatò corruit & summa commutatur calamitate, qua omnes & singuli scatent squalentque anguli? Quomodo ergo istius participes jam factæ felicitatis, indignissimam hanc beatitudine sua conditionem iterum subire desiderarent? Quomodo ad hanc miseriarum vallem, è qua se liberari calidissimis antea expetivere precibus, votis, suspiriis, reverti appeterent, nedum sustinerent? Quæro ex vobis, A, quæ sponsa adeo inconstantis queat esse mentis, ut à sponso suo oculitus adamato, cujus svavi multorum per annorum defluxum orbata præsentia, nihil adeo desideravit, nihil æquè in votis habuit, ac dulci ejus conversatione gaudere, divelli sese patiatur, eam, quam tantopere antea fuerat detestata, conditionem ingredi sustinens? Ejusmodi autem sponsa pia quævis est anima. Sponsus ejus est Christus, sponsus desideratissimus, cujus non minori flagrat desiderio, ac cervus aquarum limpidarum intolerabili sitis tostus vehementia; Sponsus amantissimus, qui eam corpore liberam è vestigio svavissimè excipit, ac ambabus, quod ajunt, amplectitur ulnis. Quo itaque pacto anima voti sui ferventissimi damnata, maxime delinifico ad-
spectu,

specu, jucundissimo Sponsi sui oculisimi complexu vel ad momentum carere averet? Infantibus à Meritisimo Mellitissimoque Salutis nostræ Restauratore conformari jubentur Cœlestis gaudia vitæ intraturi. Utique ergo animæ illa jam ingressæ, in hoc quoque imitabuntur infantes, ut quemadmodum illi nullis verborum blandissimorum lenociniis, gremium maternum ut deserant, & deserere illud coacti ignotæ cujusdam ulnis gestari se patiantur, pellici possunt, ita ipsæ quoque è plusquam materno Abrahæ sinu nullo se avelli sinant modo. Et, si mortalium in fragili hac mundi fugacitate & fugaci fragilitate ita comparatos deprehendimus pleurosque, ut maximò semper in Patriam suam ardentes amore, nihil æquè iniquò ferant animò, ac si eam relinquere ac nemini non invisam in exilio vitam vivere cogantur; quantò majori æstare putatis animas Cœlicæ, in qua degunt, Patriæ amore. Etenim, fatente id D. Patriarcha Jacobo, vita nostra vera ac mera est peregrinatio, omnijugis adversitatibus obnoxia, & suffragio Poëtæ Christiani,

*Hic sumus extorres, alienaq; regna tenemus,
Sub gravis exilii servitiq; jugo.*

Adeoq; commorandi, ut Ciceronis verbis utar, *natura nobis diversorium dedit, non habitandi locum.* Cœlum autem, Cœlum vera nostra est Patria, Patria innumeris mansionibus referta, Patria vel Ethnico, edecumata tamen sapientiæ Philosophò, Anaxagorá, teste, maximè cuique quæ curæ ac cordi esse debet. Hic enim interrogatus, Patria nunquid amplius curæ ipsi non esset, sapienter admodum ac, dummodo fides firmas in penitissimis cordis ipsius penetralibus radices fixisset, Christiano prorsus ore regeffit; *Mibi vero Patriæ cura & quidem summa est*, simul protensum indicem digitum in Cœlum intendens, utpote quod Patriæ suæ titulo unicè dignum reputabat. Et hanc in Patriam, ubi verum, juxta effatum Apostoli, nostrum *πολίτευμα* est, piæ corporis caducitatem destituentes perveniunt animæ. Prout itaque nemo post
diras

diras durasque exilii calamitates in exoptatam reversus Patriam, nisi Glaucò stupidior, caudice stolidior, denuò eam deserere, pristinumque exilii jugum subire desiderabit, ita nullam adeo stolidam fore credo animam, quæ exantlatis gravissimis in hoc mundi exilio ærumnis, tandem in beatam ac diu desideratam Patriam enisa, in hoc miseriarum pristinum reverti discuperet ergastulum. Siccine ergo omnibus dementiæ exagitatus quis esse possit furiis, animas ætherea è sede reverti adhuc quæ contendat, asserat, credat? Quis sensibus adeo omnibus captus, quin animas nihil magis, quam æthereâ ista è Patria in hanc miseriarum vallem reditum, detestari amenti menti suæ præcipere valeat? Et quæ quæso ipsis existat voluptas, ut ita hinc inde vagantes, uti quidam tradunt, & discursitantes homines terrore percellant? Infernalium quidem tenebrarum catenis constrictis id ipsum non ingratum futurum crediderim, utpote quibus singularis esset felicitas, si vel ad momentum cruciatuum illorum tartareorum, quamvis adhucdum imperfectorum vehementia liberæ dulci, eorum intuitu, vivorum conversatione frui possent. Verum his, quantopere etiam exoptant, adeo res ex animo non succedit, ut hujus voti sui damnentur. Id quod nos luculentissimè proposita à Christo, de prædiviti rerum abundantia affluentis epulone parabola edocet. Quodsi enim illum, unicam aquæ guttulam, ad restringendum vel saltem leniendum intolerabilem lingvæ suæ æstum enixissimè desiderantem atque expetentem, tantilla dignari recusavit gratia Abraham, ut misis Lazarò, flagrantissimi cum desiderii sui compotem redderet, multo minus alii hunc exhibebit favorem, ut cruciatibus liber, totos dies, integros menses ac annos intra mundi hujus terminos circumvagetur. Vosmetipsi enim A. judicate, annon multò exoptatior sit felicitas, longò temporis intervallò tormentorum immunitate frui, quam illa, qua unicam saltem guttâ eadem nequidem lenimus. Longe major sane calidissimis æstivi temporis diebus laboranti, laboribus omnino vacare, quam iis excita-

tam

tam sitim vel copiosissimò potu sedare, est volupe. Quæ au-
em, sodes, inter ærumnosissimos hujus vitæ labores & cruciatus
istos conformitas? Profecto quod gutta collata cum vastissimo
mundi Oceano, quod sabuli granum comparatum cum universo
Cœlorum ambitu, hoc laboris mortalium gravitas collata cum
suppliciorum infernalium acerbitate. Quis singula hæc ad ex-
actiorem judicii stateram appendens, quam omnimodò impossi-
bile sit, animas sua è sede in hunc terrarum orbem vestigia rele-
gere non animadvertit? Quis nisi Tiresia cœcior quam abso-
num sit animas tanquam terriculamenta in terræ hujus limitibus
dispalatas errare, non perspicit? Quis adeo perfrictæ frontis
præfractæque queat esse mentis, quin altius hæc apud animum
suum perpendens libens lubensque nostram in sententiam pe-
dibus, quod dicitur, ire festinet? Quam ad rem majorem cuiq;
stimulum subdere debet ac incentivum, Scripturæ S., quâ tacen-
te & nobis merito tacendum, altissimum his de animarum post
mortem apparitionibus silentium. Nam volvas, si placet, à ca-
pite usque ad calcem, deciesque revolvas integrum Literarum
divinitus inspiratarum codicem, ne unicum tamen easdem asse-
rentem aut adstruentem apicem in eò es deprehensurus, nedum
testimonium aliquod aut manifestum exemplum, quod affirmet,
animas relicta hac mortalitate aut rediisse, aut vivos monitu-
ras vel arcani ac futuri quid edoctras redire posse. Hoc enim
Samuelis quod urgent exemplum, præter rem faciunt, suæque
sententiæ eodem magis destruendæ quam statuminandæ accersunt
documentum, id quod invictissimis mox argumentis comproba-
tum dare est prolubium, imaginem à Saule oculis usurpatam non
Samuelis fuisse animam, sed ipsius diaboli spectrum, dum osten-
dero. Imo tantum abest, ut S. Scripturarum Pandectæ, animas
è corporis sui carcere egressas redire ad vivorum consortium ac
colloquium testentur, ut potius exsertis apertisque verbis negent,
ex infernali aliquem Spirituum atrorum domicilio mitti, qui
crudire de futuris vivos deberet. Neminem, nisi qui per totum
B vitæ

vita suæ cursum nullum unquam ne à limine quidem salutavit templum, clam fore existimo, quibus verbis Abraham, divitem in flammis infernalium æstu Lazari ad fratres suos ablegationem efflagitantem heluonem, allocutus à Veritate Hypostatica, meritisimo Salvatore nostro, inducatur: Habere nempe eos Mosen & Prophetas, quos audire debeant. Scilicet isti præditi facultatum affluentiam felicissimo quondam, ast nunc omnibus modis miserrimo guloni, petitem non solummodo denegavit; verum liquidissimè etiam docet, non esse modum Deo solennem, per demortuorum animas tam è Cælo, quàm è gehenna amandatas, vitali adhuc aura fruentes à peccatis abstertere, aut ad sedulum vitæ illibatæ studium adhortari, aut futuri quid iisdem annunciandum curare; Sed ideo Deum suum nobis manifestasse verbum, eaque de causa quotidie sinceros verbi sui præcones excitare, ut illius virtute, horum autem voce è detestabili securitatis & vitiorum fomno exsuscitati, peccata, ceu pestilentissimum quoddam ipsam quoque animam virulentissimò toxicò suò inficiens contagium, aversemur, vitemus, abominemur, rursus vero vitæ integritati omnem operam navemus, consecremus, nullam, demortuorum statum aut conditionem suam nobis adaperientium, admonitionem expectantes. Recte ergo non minus quam scite aurei iste oris Pater D. Chrysostomus scripsisse legitur: *Non anima defuncti est, quæ dicit, anima defuncti ego sum, sed demon, qui hæc, audientes ut decipiat, fingit.* Quantumcunque è modò ad demonstrandam & omnium oculis exponendam apparitionum quarumcunq; animarum absurditatem adductis, nostræ de imagine, Samuelis sub forma Sauli quæ conspiciendam se præbuit, sententiæ veritas, quod scilicet anima Samuelis adeoque verus Samuel non fuerit, solis meridiani jubare clarius dispalescat; nihilo tamen minus ex abundantia ipsius hujus apparitionis circumstantias adversariæ sententiæ refragari, ejusque falsimonium denudare, brevibus placet declarare. Et principio quidem opinioni adversariorum insolidum obstat beatissima omnibusque
nume-

numeris felicissima, qua anima Samuelis fruitur conditio. Ecquis enim tantæ ausit esse in iudicando temeritatis, ut de beatissimo Samuelis ex hac vita discesu ullum fovere non erubesceret scrupulum? Obiit enim in verâ in Mesiam tunc temporis adhuc mittendum fide, utpote in qua præcipuus omnium salutis cardo versatur. Vitam per omnem dierum suorum defluxum egit à primis statim incunabulis, veræ pietatis, justitiæ ac sanctitatis normæ examusim! conformem, Præceptorumque Divinorum, quantum per carnis licuit imbecillitatem, fuit fervantissimus. Quodsi itaque vitam hanc ab omni iniquitatis enormioris labe purissimam cum beata commutavit morte, nullum subest dubium, quin anima ejus in Paradiso, in beato isthoc filiorum Dei contubernio, ubi gaudii penitissima cordis penetralia ineffabili demulcentis modo copia datur exuberantissima, ubi lætitia personant omnia, ubi tranquilla quies & quieta tranquillitas animas suavissime amplexatur, fuerit. Hoc autem tam amœno contubernio extorris, unicum eâ si caruisset jucunditate momentum, quantam quæso passa esset injuriam! Videre hoc est haut obscure in delicatis seculi hujus sequioris nepotulis. Hi indies genio indulgere, cuticulamque suam apprimè curare, ingluviemque lautissimis cupediis ac nectare dulcissimo opplere consveti, si unicum diem fucatis istis voluptatum illecebris ac deliciis, sed ô quam perniciosus! egere cogantur, injuriâ sese affici summa arbitrantur, mœroreque se macerant non vulgari. Quantam itaque illatam huic animæ Samuelis injuriam putatis, quantum eam per se sensuram fuisse cordolium existimatis, si veris istis ac inenarrabilibus, quibuscum comparata evanida hujus mundi voluptas dicam? an vanitas, non voluptas, sed extrema calamitas, ærumnarumque Lerna venit nuncupanda, gaudiis vel ad momentum destitui debuisset? Animam itaque Samuelis ad corpus suum redisse cumque eo redunitam cum Saule sermones socialiæ, adeo inconueniens ac absurdum est, ac si Lazari animam è sinu Abrahæ ad Orci fauces descendisse ac heluonis lingvam refrigerasse asse-

ras, uti enim hoc, juxta effatum Abrahæ remotissima Tartari à
Cœlis prohibet distantia, ita illud concedere nescit summa animæ
Samuelis felicitas. Cui succenturiata adest corporis Samuelitici
jampridem sepulti & putredine ferme absumpti ad resurgendum
ineptitudo. Etenim si tempus mortis Samuelis & hujus historiae
sub accuratiorem revocamus calculum, eam bienniô post obitum
ejus accidisse comperimus. Quodnam corpus vero à conta-
bescentia intactum tamdiu delitescere in ipsis terræ possit vi-
sceribus? Eruite quæso humatum jampridem cadaver, veniat
sub aspectum aliqua ante biennium sepulti imago, & patebit
quam aptum sit ad ambulandum, quam expeditum ad fermoci-
nandum. Cranium sc. capillis cuteque nudum videbimus, videbi-
mus dentes labiorum septis destitutos. Sedes oculorum pupil-
lis vacuæ apparebunt, apparebunt nares cartilagine truncatæ.
Humeros lumbosque musculis venisq; exutos conspicabimur, con-
spicabimurque adeò nihil nisi ossa vix ac ne vix quidem co-
hærentia, quæ si paulo vehementius moveris, continuò dilaben-
tur ac dissipabuntur. Quid ergo hoc Samuelis habuisset privilegij
præ aliis, ut biennio à putredine nihil quicquam fuerit læsum? Ex
hoc apparet animam Samuelis aut putridum ac tabe confectum
corpus assumpsisse, aut alienum induisse. Illud quisnam febricitans
per quietem sibi ausit imaginari, aut quisnam phreneticus asseverare?
Hoc autem etiam si largiamur, nequaquam tamen, quod cupiunt,
adversarij obtinebunt, verum sc. apparuisse Samuelem? Quis enim
verus Samuel queat esse is, qui nec proprium quidem corpus ejus
habuit? An nunquid sola anima veræ constituendæ personæ suffi-
cit? Vosmetipsi A. quam ridiculum, quam ineptum, quam stul-
tum utrumque hoc statuere sit, cognoscitis. Effusissimos, meo qui-
dem judicio, vel ipsi Heraclito motura hæc fuissent cachinnos, si
aures ejus unquam ferijissent. Et unde quæso Samueli, pridem
Ioculo jam incluso aut terræ matri concredito holosericum, quo
amictus fuit, pallium? Sic enim retulisse legitur Pythonissa Sauli,
quod Virum viderit adscendentem holosericâ indutum togâ. Num
eà

eâ indutus terræ mandatus est? Hoc quidem ut credam impetrare à me vix possum, quia tanta pompa humatos Judices Israëliticos nulli memorant annales. Et sit ita, fuisse eandem cum ipso in sepulchrum conditam, nonne vero illa situ & blattis jamdudum fuisset absorpta? Quodnam holosericum tantæ possit esse constantiæ, ut per biennium in terra citra putredinem latere queat? Videte, A. quantopere omnia & singula in hac imagine occurrentia, juncta quasi vi ad evertendam Antagonistarum sententiam confluant. Quis itaque nisi loco cerebri fungus, loco cordis cucurbita, cranium & præcordia occupet, nostram ambabus non amplectatur manibus. Quod eò majori quemvis sanæ mentis cum lubentia facturum scio, si insuper oculorum mentis aciem à Samuele in Saulem direxerit ac defixerit, immaneque illud impietatis mancipium penitus inspexerit. Hunc adversus Deum & semetipsum gravissime peccasse, eò quod mortuos consulturus ad Pythonissam confugerit, extra dubitationis positum est aleam. Expresse enim per Mosen DEUS non hariolos solummodò ac incantatores, verum etiam defunctos in consilium adhibere vetuit. Ipsemet etiam Rex eâ fini omnibus aruspibus aqua & igni interdixerat. Nihilominus Divini pariter ac sui interdicti immemor, ad incantatricem, & ad mortuos se confert. O impietatem execrandam! O levitatem nefandam! Siccine Regem in violanda a semetipso data lege antesignanum esse? Hoccine est Deum unice omnibus in actionibus suspicere? Sic propitium ergò Saulem adhuc habuisse Deum putatis, ut Samuelem ipsi petenti miserit? Adeone ipsum Gratiæ Divinæ in sinum insinuatam arbitramini, ut hoc quoque facinore eâdem non exciderit? Et nunquid Samuelem adeo existimatis fuisse facilem, ut impio huic Regi in impio hoc facti morem gerere voluerit, etiamsi penes ipsum steterit? Imò vos ipsi deliberate, annon Deus contra proprium, si id permisisset, egerit mandatum? Absit tam blasphemum de Deo cogitare nedum affirmare! Quid? quod ipse textus rotundis asserat verbis, noluisse Deum amplius Saulem ullo dignari responso neque per visiones neque per somnia. Si itaque Deus Sauli non respondit, cujus instin-

Et ergo ista, quæ apparuit species, regessit, quicquid regessit? Manifestissimum iccirco est, non à Deo, sed dæmone, datum hoc Sauli responsum esse profectum. Adeoque verissime augustissimus ille Hipponensium in Africa præsul Augustinus statuit, non Spiritum Samuelis excitatum esse à requie, sed phantasma & imaginariam illusionem, Diaboli machinationibus factam. Nominari verò ideò Samuelem quod usitatum sit, imagines appellare nominibus earum rerum, quarum sunt imagines. Quid itaque obstat, adversarie, quod nobis pollicem hac in re premere subterfugias? En tibi dictum primitivi primitivæ Ecclesiæ Patris clarissimum, quorum longè prolixior annecti testimoniorum posset catalogus, nisi eadem data opera brevitatis ergo silentii conopeo concludere in animum induxisset. Temperare tamen mihi non possum, quin è recentioribus nostri seculi Ecclesiæ Antistitibus B. D. Franzii, hac de imagine suis quæ inseruit Oraculis, verba hic commemorem: *Si Samuel, inquit, in vivis fuit Propheta, sicut fuit Propheta, tum nomen illud post mortem amittere non potuit, & per consequens qui h. l. introducitur loquens cum Saule quasi Samuel non est verus Samuel Propheta, siquidem DEUS dicit, quod cum Saule per Prophetas tunc non amplius fuerit locutus. At non negabis quod Samuel post mortem fuerit dignus nomine Propheta seu Videntis. Ergo verus Samuel non respondit Sauli. Si respondisset verus Samuel, respondisset Sauli Jehova, per Samuelem Prophetam. At hoc negatur in textu & expresse dicitur, quod non responderit Jehova Sauli per Prophetas. Et hoc unum est: audiatur alterum. A Jehova, in cujus manu & sinu quiescebat Samuel, convertit se Saul ad Pythonissam, h. e. ad Satanam. Simile est, Abasia agrotans misit nuncios ad Baalzebub Deum Ecron; & Angelus Jehovæ locutus est ad Eliam: Surge, loquere ad eos, nonne, quia non est DEUS in Israël, proficiscimini ad Baalzebub. Sicut ergo hic opponuntur DEUS & Satanas: ita in ista Samuelis historia, Satana DEUM opponi necessum est. Quicquid igitur postea fit, fit per Satanam. Satanas representat formam seu imaginem demortui Samuelis, & ex hac forma ipse vaticinatur, utpote qui acceperat potestatem in Saulem impium, sicut*


Dia.

Diabolus tandem ingreditur Judam. Hæc & plura adhuc, quæ in ipso videri possunt autore, nervosè admodum & sapienter supra laudatus Franzius de e mentito hoc Samuele, est commentatus, è quibus unieuique haud omnino obesarum narium assertionis nostræ veritas facile potest constare. Sed dicis forsan, Antagonista, clara narrationis verba, expressè Samuelem Sauli fuisse locutum asseverantia, tuam te relinquere sententiam non pati, idque eo magis quoniam vera prædixerit, Saulem nimirum cum filijs sequenti die moriturum, id quod exitus quoque probavit, dum Saul postero die proprio se transfodit ense, filijque ejus in prælio occubuerunt. Equidem non inficior, dici, Samuelem fuisse locutum, verum ipfas literas paulo altius perpende animumque facile, spero, mutabis. Non enim iudicium ibi profertur aut pronunciatur de re ipsa, num verus an falsus Samuel fuerit, sed simpliciter & ex concepta ab adstantibus superstitione fascinatis opinione factum narratur. Similiter parum momenti situm est in eo, quod vera prædixerit; Potuit enim id Satan colligere per conjecturam ex omni apparatu bellico, variisque circumstantiis, unde mortem Saulis non verè sed probabiliter tantum asseruit. Quid? quod hæc verborum à dæmone prolatorum triga ambiguitatis morbo nequaquam non laboret. Probè enim cognitum habuit vaserrimus hic Spiritus, voculam *cras* sapicule in sacris Literarum Divinarum Pandectis accipi non pro die subsequenti, sed pro tempore brevi futuro. Hinc eadem usus est certò persuasus se, sive Saul subsequenti die perierit sive minus, suorum tamen verborum probabilem explicationem afferre posse. Sed in eo certè neutiquam erravit, cum ait, Saulem secum fore, puta in inferno, ubi domicilium falsi hujus & e mentiti Samuelis. Nam animam Saulis in cœlum evolasse credibile non est, cum ipsam per *αυτοχρησιν* eiecerit. Sed pergis, Antagonista, Ecclesiastici prætere autoritatem, Samuelem verum fuisse, disertè affirmantis. Næ nimium quantum ipsa Ecclesiastici hac in parte vacillat autoritas, uti & ipse hic locus non exiguam suppeditavit causam.

causam, quod è Canone totus liber sit proscriptus, quoniam in Veritatem Divinam hoc ipso non leviter impingit. Nihil itaque hujus libri nos moramur auctoritatem, cum alias sublestæ sit fidei in quibusdam cum Canone S. Scripturæ non concordantibus. In- victum ergò, ac adversus omnes adversariorum impetus inconcus- sum Veritatis obtinet fundamentum, animam Samuelis adeoque verum Samuelem non apparuisse, non ex generalium duntaxat ar- gumentorum, tam à natura animarum, quàm à Scripturæ silentio depromptorum robore, verum ex ipsarum specialium quoque ra- tionum pondere, quoniam nec beatissima Samueliticæ animæ, nec caduca confecti corporis ejus, nec deploratissima Saulis concedit conditio. Quod reliquum est DEUM T. O. M. ardentissimis merito imploramus precibus, ut quem liber clementissime à larvis istiusmodi tueatur, protegat, defendat, nostrumque illuminare dignetur intellectum, ut ne ab ipsis, sed ex verbo ipsius purissimo veritatem discamus, ne unquam in pessimi istius Doctoris, didactrum funestum & exitiale repetere consveti, truculentos unguis incidamus.

D. O. M. G.





Fd 29 79

ULB Halle
002 711 796

3




TA 70L

W 2 P

N.C.





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

THEOLOGICA INAVGVRALES, V3

בגה

ON-SAMUEL,

23

ive:

De

RO EN-

REO

el. XXIIX.

TIUNCULA,

oma Diaboli,

gi permisu Divino
imposuit,

neris Didascalici,
sferens,

in
D BERLINENSI

lice habita

hio, Stolpâ Pomerano,

. B. A.

χ.

ANDENBURGICÆ,

26

LTZI, Elect Typogr. Anno 1672.

